

Scriptores has Indulgentias ampliandas ad singulos dies. Quo non obstante, Regulares excitandi sunt, ut in suis Ecclesiis quotidie pro lucrandis Indulgentiis consuetas preces persolvant 7 vel 5 *Pater*, et *Ave*, vel 6 *cum totidem Gloria Patri* etc., quia singulis diebus per pia ista opera ex immenso Indulgentiarum thesauro aliquid lucrari possunt; præsertim ex Indulgentiis Regularium, quæ ferè omnibus aliis Regularibus communicantur. Indulgentias plenarias Stationum Urbis lucrantur etiam seculares in Ecclesiis Regularium, sed cum conditione confessionis et communionis, ut ex Mari magno ab Innoc. VIII servus B. M. V. concesso; et contrarium, quod docuit Gobat, revocavit. Hoc privilegium notent confessarii, et peccatores; præsertim graviores; hortentur ad lucrandum has Indulgentias diebus Stationum Urbis in Missali descriptis. Præterea Regulares habent Indulgentiam plenariam in die assumpti habitus, professionis, dum primam missam celebrant, vel confessi, et communione refecti ei intersunt, dum vacant exercitiis spiritualibus per decem dies; et plures alias ex Const. 21 Pauli V. *Romanus Pontifex* 1606, die 23 Martii: quæ Indulgentiæ substitutæ sunt in locum abrogatarum.

Plura de Indulgentiis vide in Bellarmino, et præ ceteris in P. Gobat, non solum scientia, sed et humilitate insigni, qui *Tract. 4. de thesauro Indulgent.* multa emendavit in posteriori editione; quæ, cum sint facti, etiam prudentissimum et sapientissimum fallere poterant, juxta Neratium *l. 2. ff. de J. et F. Ignor.*

TITULUS XXXIX.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS. ^a

227. Hæc Rubrica, utpotè nigro strictior, amplianda est ad sententiam suspensionis et interdicti, sicut in 6. *hoc tit.*, ita ut, sub ea contineantur omnes pænæ medicinales ab Ecclesia præscriptæ.

Agetur hic:—1.º De censuris in genere.—2.º De singulis in specie.—3.º De cessatione à Divinis.

^a—Agitur de hac materia in Sexto, Clem. Extravag. Joann. XXII: Extravag. com. *h. t.*—Decreto 9. q. 1. et 11. q. 1. et 24. q. 1. 2. 3.—In Trident. sess. 14. c. 1. et sess. 22. c. 41. *de reform.* et sess. 24. cap. 9. *de reform. matr.* et ses. 25. c. 12. et 18. *de Regg.* et c. 19. *de Reform.*

§. I.

De Censuris in genere,

228. *Nota I.* Censuram à *censendo*, seu corrigendo dictam, in jure Can. definiri: Pœna medicinalis homini baptizato delinquenti et contumaci infligita, privans illum usu quorundam bonorum spiritualium: ita in re com. Dicitur:—1.º *Medicinalis*, quia censura per se et primariò ordinatur ad correctionem et sanationem delinquentis, et tantum secundariò ad punitionem.—2.º *Contumaci*, quia censura ex natura sua fertur ad frangendam contumaciam seu inobedientiam illius, qui scienter contra legem Ecclesiasticam peccat: et ideo ab ignorantibus non incurritur (*cap. fin. de constit. in 6*)—3.º *Quorundam bonorum spiritualium*, quia censura primariò privat bonis spiritualibus; non quidem internis, quæ potestati Ecclesiæ non subjiciuntur, uti gratia, fides etc.; sed externis, putà actionibus et ceremoniis spiritualibus, ut sacramentis, sacrificio etc.: et secundariò bonis quibusdam temporalibus, ut convictu et communicatione cum aliis, ut infra dicetur de effectu cujusque censuræ.

Nota II. Censuram dividi:—1.º In latam à *jure*, quæ à sac. Canonibus exprimitur; et latam *ab homine*, quæ ex arbitrio judicis Ecclesiastici infligitur.—2.º In censuram *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur à delincente absque ullo ministerio judicis; et *sententiæ ferendæ*, quæ licet à jure statuta sit, non tamen prius incurritur nisi per sententiam condemnatoriam à iudice prolatam. Agnoscitur censura latæ sententiæ ex verbis indicativi modi: *excommunicamus, suspendimus, qui secus egerit, noverit se excommunicatum, vel ipso jure et facto excommunicationem incurrat* etc. *Ferendæ* verò *sententiæ* ex verbis futuri temporis et modi imperativi, quæ plerumque significant aliquid ministerio judicis infligendum, v. g. *excommunicabitur, suspendatur, prohibemus sub interdicto, vel sub pœna excommunicationis* etc.—3.º In *validam*, quæ nullo substantiali defectu laborat; et *invalidam*, quæ aliquo substantiali defectu laborat: item in *justam* et *injustam*.—4.º Tres species sunt censuræ: *Excommunicatio, suspensio, et interdictum* (c. 20. *de V. S.*) Unde inter censuras non ponuntur: *cessatio à divinis, irregularitas, depositio* et *degradatio*.

Quæretur hic de causis censurarum, earumque absolute.

229. Q. I. *An, et quis possit censuras ferre?*

R. 1.º Ecclesia seu prælati Ecclesiæ possunt censuras ferre: ita Catholic. ex generali potestate à Christo data *Matth.* 16. et 18., qua potestate usi sunt Apostoli, sicut S. Petrus excommunicando Simonem

Magum (*Actor. 8. v. 12*); S. Paulus excommunicando incestuosum Corinthium (*1. Cor. 5.*) Hyrenæum et Alexandrum (*Timoth. 12. v. 20.*); probatque usus continuus Ecclesiæ et Conciliorum, ubi anathematis mi et aliæ censuræ exprimuntur. Ratio etiam est, quia sicut in omni republica, ita maximè in Ecclesia necessaria est potestas separandi membra noxia à corpore, vel iis subtrahendi certa officia et functiones; ergò illam Christus dedit Ecclesiæ, tunc scilicet, dum Apostolis eorumque in clero Successoribus dedit potestatem clavium ligandi et solvendi. Hinc ex communi DD. potestas censurandi exigit in subiecto, ut sit mas, baptizatus, ad statum clericalem elevatus, et viator, uti erant Apostoli.

2.º Potestas censurandi jure et officio ordinario competit:—I. Papæ jure divino pro tota Ecclesia.—II. Episcopis et Archiepiscopis, eorumque Vicariis generalibus, et capitulo, sede vacante, pro suis diocesisibus.—III. Cardinalibus in Ecclesiis suorum titularum, Legatis Sedis Apostolicæ in provincia suæ legationis.—IV. Prælati tam secularibus, quàm regularibus jurisdictionem in foro externo contentiosam habentibus: ita hæc omnia patent ex dictis in tit. *de Off. Ord.*—V. Parochus non habet potestatem ferendi censuras; nam hæc potestas exigit jurisdictionem contentiosam in foro externo (*c. 1. h. t. in 6.*), qua parochus caret: et ideo excommunicatio contra fures ab Episcopo ferenda est (*Trid. Sess. 25. cap. 3. de reform.*), nisi parochus ex privilegio apostolico, vel legitima consuetudine aut præscriptione, quæ privilegio æquivalet, jus censurandi acquisivisset: hoc sensu explicari solet *Can. 11. nemo 2. q. 5. et c. 2. 3. de off. ordinar. in 6.*—Ex delegatione quilibet clericus etiam primæ tonsuræ, potestatem censurandi acquirere potest; cum ista potestas sit delegabilis.—Item ex præscriptione legitima, dummodò præscribens sit clericus, atque ita capax possidendi jus spirituale: secùs præscriptio non procedit ex reg. 3. in 6.: superest dubium de laico et fæmina.

3.º Laicus privilegio apostolico habilitari potest ad ferendam censuram: ita com. contra paucos. Nam laicus privilegio apostolico habilitari potest ad jura et actus spirituales à potestate Ordinis non pendentes: ut ad præsentandum, eligendumve ad beneficia; ad judicandum causas spirituales, clericosque examinandos juxtà *Trid. Sess. 24. cap. 18. de reform.*; ergò etiam ad ferendam censuram, cum et ista non dependeat ab Ordine: tum quia Papa defectum tonsuræ clericalis supplere potest, cum tonsura sit juris humani; ergò nihil obstat, quominus laico committere possit potestatem ferendi censuram.

Dices: Potestas clavium data est à Christo solis Apostolis, et ideo *Can. 22. in nona 16. q. 7.* ad divinos libros reducitur impotentia creandi laicos in officiis Ecclesiasticis; ergò laicus jure divino incapax est ferendi censuram.—*R.* Potestatem Ordinis competere clericis privative; at potestatem jurisdictionis absolutè etiam laicis communicari posse, cum jus divin. clarè in contrarium non producat. *Cit. Can. 22.* sermo est de de æconomò, qui secundum divinos seu Canoni-

cos libros debet esse clericus, ex dispensatione etiam laicus (*arg. seq. Can. non placuit, ibid.*); sic ceteri Canones solvuntur.

4.º Fæmina privilegio apostolico habilitari nequit ad ferendam censuram: ita S. D. in *4. d. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4.* Avila, Salmant. et alii contra Sayr., Laym., Suar., Schmalz. Prob. ex *1. Cor. 14. v. 34.*, ubi Apostolus videtur indicare jus divinum, quo fæmina jubetur in Ecclesia tacere, seu nullam potestatem Ecclesiasticam exercere: tum quia Christus Dominus in Discipulos et Apostolos elegit mares, non verò fæminas, illisque dedit potestatem clavium, exclusis fæminis, ut docet Innoc. III *cap. 10. de pœnit. et remiss.*: Quia, inquit, *licet Beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis claves regni cælorum commisit*; ergò fæminæ jure divino exclusæ sunt à potestate clavium; sub qua etiam continetur potestas ferendi censuras.

Dices: Fæmina est capax jurisdictionis spiritualis, ut patet ex *cap. 12. de M. et O.*, ubi Abbatissa clericos instituit, eosque suspendit; ergò. Tum quia Abbatissa in suas religiosas habet potestatem spiritualem.—*R. N. A.* *Cap. 12. cit.* sermo est de suspensione latè tali seu simplici prohibitione, ne clerici celebrent. Est autem potestas Abbatissæ privata, putà materna aut dominativa, non verò jurisdictionalis (S. D. *loc. cit.*)

230. Q. II. *In quem censura ferri possit?*

R. 1.º In solum hominem baptizatum, rationis et doli capacem, viatorem et subditum, sive clericum, sive laicum; ita com. Nam omnes hæc conditiones requiruntur in eo, qui censura, vel alio jurisdictionis Ecclesiasticæ actu aut vinculo ligandus est. Unde subjectum censuræ non sunt:—I. *Infideles* non baptizati, ex *1. Cor. 5. v. 12: Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Idem dic de cathecumenis (*Trid. Sess. 14. cap. 2. de sacram. Pœnit.*)—II. *Infantes et amentes*; quia præcepti et doli non sunt capaces. At impuberes usu rationis præditi, cum nullibi excipiantur, sicut capaces sunt doli, ita et censuræ (*c. 1. et fin. h. t.*)—III. *Homines mortui* (*Can. 1. et seqq. 24. q. 2.*), quia potestati humanæ non subjacent. Hæretici tamen post mortem solent declarari excommunicati, ut catholici eis non communicent in sepultura (*Can. fin. ibid.*), et catholici cum signis pœnitentiæ decedentes solent absolvi à censura; sed hæc absolutio directè terminatur ad vivos, ut hi communicare possint mortuis in sepultura (*cap. 28. hoc. tit.*)—IV. *Non subditi*; quia potestas coercitiva non exercetur, nisi in subditum: hinc Papa à nullo in terris censura ligari potest, nisi propter hæresim à Concilio deponeretur (*Can. 6. d. 40.*), et subditi suffraganei non possunt censurari ab Archiepiscopo, nisi actu visitet, vel causa per appellationem ad eum devolvatur (*c. 7. h. t. in 6.*), neque subditi aliorum Episcoporum ab Episcopo non suo censurari valent, nisi per accidens ratione delicti forum in alieno territorio sortirentur (*cap. fin. de foro compet.*) Imò si Episcopus in alieno territorio commorans delinquerit, et gravitas delicti id exposceret, posset excommunicari ab alieno præ-

lato territorii. Si censura lata est generaliter pro territorio, subditus extra territorium delinquens, eam non incurrit (*cap. fin. de Constit. in 6.*), nisi moraliter esset præsens suo territorio, sicut parochus absens censetur per suam absentiam delinquere in sua parochia. At si censura lata sit personaliter, sequitur naturam præcepti, et extra territorium incurritur.

2.^o Episcopi ex speciali privilegio juris (*cap. 4. qui periculosum, h. t. in 6.*), non ligantur censura suspensionis et interdicti, nisi eorum expressa mentio fiat, ne scilicet in exercitio sui officii impediatur. Quod privilegium extendi ad censuram excommunicationis multi concedunt, multi negant.

3.^o Integra communitas, v. g. civitas aut collegium interdicti et suspendi quoad actus capitulares potest, non tamen excommunicari (*cap. 5. h. t. in 6.*), nisi forsitan constaret omnes in communitate deliquisse; nam excommunicatio est gravissima censura, plurimisque bonis spiritualibus privat: ergò innocentes ea ligari non debent, sed tantum auctores sceleris.

4.^o Idem homo ex diversis causis ligari potest pluribus censuris, non tantum diversæ, sed etiam ejusdem rationis, v. g. pluribus suspensionibus, excommunicationibus etc.: ità deducitur ex *Clem. 2. et 3. h. t.*, et *Can. 27. et 42. h. t.*, ubi absolutus ab una excommunicatione, non censetur absolutus ab altera, si causam jus non expressit. Ratio est, quia censura est quoddam vinculum morale, quod secundum diversas causas multiplicari potest per respectum ad illas. Imò ob eandem causam, si adsit contumacia respectu diversorum judicum, potest idem censura ejusdem rationis ligari, una à jure, altera ab hoc, tertia ab illo iudice.

231. Q. III. *Ob quam causam censura ferri possit?*

R. 1.^o Regulariter loquendo ob culpam mortalem, opere externo proditam, et jure Ecclesiastico prohibitam: ità com. ex *Can. 41 et seqq. 11. q. 3.*, *Trid. sess. 25. c. 3. de reform.* Nam censura, quatenus est pœna gravis lata à potestate humana, et ordinata ad frangendum contumaciam rei, tria hæc requirit: culpam gravem, externam, et jure Ecclesiastico vetitam; ergò. Sic explicatur *Clem. 1. §. verum, de Hæretic.* et similia jura; nam loquuntur de amore, odio, omissione, opinione et judicio, quatenus prorumpunt in actum exteriorem. Dixi *regulariter*; nam si censura feratur modo imperfecto, ut excommunicatio minor, vel minor seu imperfecta suspensio, aut interdictum, sufficit ad illius incursionem culpa venialis; sed hoc vix est in praxi.

2.^o Ob delictum merè præteritum, cujus contumacia cessat, censura ferri non potest: ità com. ex *c. 23. de V. S. c. 40. 48. h. t.* et signanter ex *cap. 5. eod. in 6.* ibi: *Sed nec in specie, nec in genere pro culpis præteritis* etc. Nam censura, cum sit pœna medicinalis, fertur per se ad frangendam contumaciam et inobedientiam delinquentis; sed hæc contumacia non est in delicto merè præterito; nam qui deliquit, et nunc paratus est satisfactionem offerre, non potest dici contumax; er-

gò. Argumenta in contrarium non procedunt de peccato merè præterito, sed physicè quidem præterito, moraliter autem præsentem; quia in se, vel suis effectibus tractum successivum habet; adeòque emendatione et satisfactione indiget; ut si quis clericum occidit, et damna consequentia reparare non vult. Sic explicatur *Can. 27. inter 23. q. 4.*, *Can. 2. quidem 5. q. 1.*, *Can. fin. 2. q. 1.* et *Can. 30. Guilisarius 30. q. 4.* Et varia exempla Rom. Pontificum, qui sceleratos excommunicarunt ob delicta præterita, quia hæc ante oblatam satisfactionem moraliter erant præsentia et continuata.

3.^o Ob delictum alienum non incurritur censura propriè dicta, præsertim excommunicatio; nam innocens non contumax; ergò nec censurandus ob aliena delicta; secus censura coràm Deo non valet, licet in foro exteriori sit observanda et relaxanda: quo sensu explicantur *Can. 4. judicet 3. q. 7.* et *Can. 8. 30. et seq. 11. q. 3. et c. 3. de solution.* At per accidens innocentes afficiuntur interdicto aut suspensioni generali, quatenus sunt pars nocentium.

4.^o Si censura lata est in *facientes*, non extenditur ad *mandantes, consulentes, ratihabentes*, nisi et isti exprimantur; nam in hac materia odiosa et pœnali, nomine facientium non veniunt mandantes, consulentes, ratificantes, cum propriè non faciant delictum (*arg. l. 17. §. 2. ff. de injur.*), nisi alioquin lex frustratoria redderetur (*17. h. t. in 6.*) Quòd si lex lata est in mandantes et consulentes, hi, sufficienter quoad se revocato mandato et consilio, non videntur incurtere censuram, etsi mandatarius, ad quem revocatio non pervenit, mandatum ipso opere exequutus sit: ità favorabilior sententia Salmantic., Suar., Laym. et aliorum contra Bonac., Tolet., Molin. etc. Nam in tali casu, dum effectus ponitur, mandans et consulens non est contumax et rebellis; ergò nec ligatur censura, sicut is, qui intendit, v. g. clericum verberare, et ante executionem operis intentionem suam revocavit: tum quia executio operis non est mandanti voluntaria, hoc ipso quod mandatum revocaverit; ergò nec est peccaminosa respectu mandantis; sine peccato autem censura non incurritur.

Dices: Censura est compossibilis cum gratia et pœnitentia, cum existens in gratia possit esse excommunicatus; ergò nihil est, quod in hoc casu impediatur censuram.—*R.* Censura in *facto esse*, seu dum perseverat, est omninò compossibilis cum gratia; at censura in *ferri*, seu dum actu incurritur, non est compossibilis, cum neque actualis contumacia, ob quam censura incurritur, cum gratia componi valeat.

232. Q. IV. *Qua forma et solemnitate proferenda sit censura?*

Solemnitas ista potissimum desumenda est ex Conc. Lugdun. sub Innoc. IV. et Greg. X. et ex Constitutionibus Bonif. VIII, prout legitur in *6. h. t.* His igitur juribus conformiter:

R. 1.^o Ad censuram ex parte iudicis requiritur:—I. Potestas ordinaria vel delegata, nullo obice ad sui exercitium impedita.—II. Territorium proprium (*Can. 7. Episcopum 9. q. 1.*), excepto casu, quo Episcopus injustè pulsus est à Sede sua: hic enim in aliena vicinia diœcesi,

petita, licet non obtenta, licentia Ordinarii, censuras ferre potest in suos subditos rebelles et contumaces, servata forma *Clemen. un. de foro comp.*—III. Judex zelo justitiæ et charitatis duci debet ad ferendam censuram; non verò ira, odio vel alia passione; neque in propria causa (*Can. 27. inter 23. q. 4.*), nisi ad justam sui defensionem; quia vim vi repellere omnia jura concedunt.—IV. Ex parte rei requiritur, ut sit subditus censurantis, et delinquat cum contumacia, ut dixi.

2.^o Si censura fertur *judicialiter* per modum sententiæ, requiritur ad illam:—I. Monitio triplex; seu una peremptoria, non necessariò in scriptis, sed coràm testibus idoneis, per quos probari possit, facta, assignato competenti termino, intra quem reus deliberet, an cessare velit à contumacia (*cap. 48. h. t. et c. 5. eod. in 6.*); nam ante monitionem non constat, an reus sit contumax et inobediens. Hæc solemnitas monitionis est de gravi præcepto sub pœna interdici ab ingressu Ecclesiæ per mensem (*c. 48. h. t.*), non tamen de substantia censuræ, quæ sine monitione valida erit, sed injusta; *cit. c. 5. ibi: Si contra præsumpserint, injustas noverint esse illas sententias.* Excipe casum, quo quis ob communicationem cum excommunicato, suspensio aut interdico, majori excommunicatione feritur: tunc enim sententia excommunicationis sine prævia monitione lata non tenet, seu invalida est (*c. 9. et 13. h. t. in 6.*)—II. Delicto notoriò, notorietate *facti*, et simul *contumaciæ*, dum palàm constat reum deliquisse, et simul pertinaciter asserere, quòd nolit parere mandatis Ecclesiæ, probabiliter adhuc requiritur monitio, ut *judicialiter* constet reumesse contumacem; nam casus iste in *citt. juribus* non excipitur, et reus à judice commonitus mentem mutare potest, et timore censuræ imminentis contumaciam deponere.—Nec obstat *Can. 15. manifesta 2. q. 1. c. 9. de accusat.* et similia jura, quæ in notoriis ordinem juris non requirunt; nam id verum est in ordine ad pœnas vindicativas, non verò medicinales, seu censuras, quæ infligi nequeunt, nisi propter contumaciam actualem. Fateor tamen oppositam sententiam esse satis probabilem; dummodò non solùm delictum, sed etiam contumacia sit notoria.—III. His ità circa monitionem præmissis, si lapsò termino, reus sit contumax, judex sententiam censuræ profert in scriptis, expressa causa excommunicationis vel alterius censuræ, et exemplum hujus sententiæ tradit reo intra mensem, si fuerit requisitus: super qua requisitione faciendum est instrumentum publicum, vel aliæ litteræ authenticæ (*c. 1. h. t. in 6.*) Secùs judex hæc non observans, per mensem suspensus est ab ingressu Ecclesiæ et divinis officiis, qua suspensione violata, fit irregularis: censura verò sine difficultate relaxanda est à superiore, *ibid.*; ex quo patet, censuram istam, aliter prolatam, quam præscribitur *citt. c. 1.* esse validam, cùm relaxetur. Patet etiam Episcopum, cùm in *c. 48. h. t. et c. 1. eod. in 6.* non exprimatur, non incurrrere hanc suspensionem et interdictionem, ex privilegio (*c. 4. h. t. in 6.*)

3.^o Si censura fertur *legaliter* per modum juris seu statuti, ut ipso jure et facto incurratur, nulla requiritur prævia monitio à judice fa-

cienda: ità *c. 26. de appell.*, ubi casus iste excipitur à præcepto monitionis, ibi: *Nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat*; nam ipsa lex perpetuo monet, ergò non opus est monitione judicis.—Nec obstat *c. 5. h. t. in 6. ibi: caveant etiam*; nam, ut glossa interpretatur, textus iste procedit de excommunicatione, ut fertur *judicialiter* per modum sententiæ pro delictis præteritis aut futuris, non verò ut fertur *legaliter* et per modum juris seu statuti pro delictis futuris, nisi lex monitionem præscribat, sicut *Clem. fin. in fin. de statu Monach.* et *Clem. 1. de decimis.*—II. Censura ipso facto incurra absque prævia monitione, non potest à judice denunciari licitè; nam etiam denunciatio ista tendit ad frangendam contumaciam rei: sine monitione verò non censetur quis contumax; imò post incurram censuram jam forsàn est emendatus. Si tamen notoria esset contumacia, ex probabili sententia suprà relata, poterit judex censuram denunciare sine prævia monitione (*arg. c. 26. pr. de appell.*)

4.^o Si censura fertur non proprio modo censuræ, sed modo pœnæ vindicativæ, nulla requiritur prævia admonitio; nam ad vindictam et punitionem sufficit delictum præcessisse: sola autem suspensio et interdictionem particulare ferri potest in vim pœnæ vindicativæ (*c. 1. §. v. si quis h. t. in 6. et c. 48. x. eod. c. 7. §. fin. de elect. etc.*) Excommunicatio autem, uti et interdictionem generale, cùm privent pluribus bonis spiritualibus, nunquam scient ferri, ut pœnæ vindicativæ, sed semper ut pœnæ medicinales; ità com.; neque exemplum aliquod in contrarium alegari potest.

233. Q. V. *Quæ causæ excusent ab incursione censuræ?*

R. Seqq.:—1.^a Ignorantia, non tantùm *facti*, sed etiam *juris*; si quis etiam crassè ignoret delicto appositam esse censuram, modò non sit ignorantia affectata, dum quis data opera non vult scire, sicut *c. 1. de postulat.*; nam stante ignorantia, non adest contumacia, et contemptus legis ecclesiasticæ; idem dic in dubio facti aut juris, an censura incurratur.—2.^a Omnis causa, v. g. urgens necessitas, quæ excusat à peccato mortali, etiam excusat à censura. Unde si auditio missæ in Paschate præciperetur sub pœna excommunicationis, æger non incurreret illam.—3.^a Imperfectio seu attentatio actus sine consummatione; quia verba in materia pœnali accipienda sunt cum effectu secuto, nisi et ipsa attentatio censuræ subderetur.—4.^a Remissione vel prorogatione illius, in cujus favorem censura lata est, ut si creditor debitum remittat, vel terminum solvendi proroget: si verò in prorogato termino non solvatur, locus erit excommunicationi, quia tempus à judice determinatum, non est finiendæ censuræ, sed incurrendæ, vel tunc, vel in termino prorogato, si non solvatur.—5.^a Innocentia notoria, contra quam judex censurando nulliter agit (*c. 2. 7. h. t. in 6.*) Si quis verò innocens est in foro interno, et probatur nocens in foro externo, non ligatur censura in conscientia; cùm sententia lata sit ex falsa præsumptione; at in foro externo tenetur se ge-

rere pro censurato, quia in hoc foro præsumptio justitiæ stat pro iudice. Si tamen executio sententiæ peccatum contineat, non est ei parendum: ut si cogeret quis uxori putativæ debitum reddere (c. 42. h. t.)—6.^a Metus gravis injustus, quo quis compellitur ad actum malum faciendum; nam licet metus gravis non excuset à transgressione juris naturalis et divini, plerumque tamen excusat à pœnis Canonicis, uti et præceptis. Unde si quis adigeretur clericum occidere, occidendo peccaret quidem mortaliter: excommunicationem tamen et irregularitatem non incurreret; Salmant., Suar. etc.—Excipe, nisi quis in contemptum clavium Ecclesiæ seu præcepti ecclesiastici, cogeret aliquid facere sub censura prohibitum; tunc enim metus non excusat à censura: quia Ecclesia vult tali casu suum præceptum observari. Hoc sensu explicatur difficilis decisio c. 5. de his, quæ vi, ubi excommunicantur, qui metu adacti communicant excommunicatis, putà illos sepeliendo tempore interdicti in contemptum pontificiæ potestatis. Vide Gonz. cit. c. 5.

234. Q. VI. Quomodo et à quo censura tollatur?

R. 1.^o Non tollitur, nisi absolute (c. 40. h. t.); nam ligatus solvi debet ab habente potestatem solvendi. Unde censura non cessat morte iudicis eam infligentis, nec sola emendatione aut satisfactione: et quamvis morte censurati ex parte ejus tollatur, quia mors solvit omnia; tamen ex parte aliorum fidelium perseverat, ne ei defuncto communicent, donec per absolutionem tollatur (c. 28. h. t.) Fit autem absolutio ista:—I. *Purè* seu absolute independentè ab ulla conditione.—II. *Conditionatè*, quod rarius est, dum reus absolvitur sub conditione; ut ea deficiente, absolutio deficiat: v. g. absolvo te, si intra mensem restitueris.—III. *Ad cautelam*, dum quis ad præcavendum damnum, seu ad certum effectum absolvitur à censura ignota vel dubia, si re ipsa subesset. Tales absolutiones ad cautelam præmitti solent absolutioni sacramentali, receptioni Ordinum, beneficiorum, privilegiorum (c. 51. et 52. h. t.), ne scilicet effectus isti nulliter ponantur, si subjectum esset excommunicatione innodatum.—IV. *Ad reincidentiam*, dum quis absolvitur ad certum effectum, v. g. ut possit stare in iudicio, et deinde rursùm cadit in eandem censuram. Hi omnes modi adhiberi possunt in foro interno et externo: si tamen absolutio in foro tantùm interno facta sit, reus tenetur in foro externo gerere se pro censurato, dummodò censura sit nota in eodem foro.

Dices: Lapsu temporis tollitur censura, v. g. absolvo te, si intra 8 dies solvas; item posita satisfactione, ut suspendo te, donec ad Ecclesiam tuam redeas, donec solvas; ergò censura tolli potest absque absolutione.—R. In his et similibus casibus idem actus superioris vim habet ligandi et solvendi; cum sub una ratione liget, et sub altera solvat.

2.^o Censura specialiter per sententiam lata ab homine seu iudice non potest ab alio per absolutionem tolli, nisi ab eo, qui illam tulit, vel ejus successore, vel superiore cumulativam jurisdictionem pleno jure habente, vel à delegato in hac causa, vel à iudice appellationis:

ità com. (c. 3. 11. §. *præterea*, de Off. Ord. Clem. 2. de elect. c. 40. et 42. h. t. c. 5. 7. eod. in 6.) Nam ex reg. 1. in antiq. regulariter ejusdem est solvere, cujus fuit ligare. Quòd verum est etiam in casu, quo reus domicilium mutavit; quia per sententiam præventa est jurisdictio (c. 19. de for. compet.)—Excipe:—I. Si iudex, qui censuram tulit, sit impeditus, v. g. excommunicatione aut suspensione, vel præcepto Papæ, vel confirmatione sententiæ ab eo facta: tunc enim ferens censuram non potest ab ea absolvere, sed recurri debet ad superiorem, ad quem in his casibus potestas devolvitur: sic etiam delegatus censuram à se latam post annum tollere nequit (c. 26. de Off. Deleg.)—II. Casum impotentia, si reus adire non possit iudicem, à quo censuratus fuit: tunc enim, si paratus sit satisfacere, absolvi potest ab alio, etiam inferiori, præstito priùs juramento, quod, quàm primùm poterit, præsentabit se illi, ad quem de jure competit absolutio (c. 13. 26. 58. h. t.)

3.^o Censura à jure vel statuto generaliter lata, si non sit reservata, relaxari potest à prælato proprio habente jurisdictionem in foro externo: imò etiam à proprio sacerdote seu confessario. Prima pars est com.; nam hoc ipso quod censura non reservetur, relinquitur sub jurisdictione proprii prælati. Secunda pars est S. D. part. 3. q. 2. ar. 2. Inn., Reiff., Salmant. et aliorum contra Gloss. c. 2. de Pœnitent., Covar., Sayr. etc. Prob. ex c. 29. nuper h. t. ibi: *In secundo verò casu, quo censura non reservatur à suo Episcopo vel à proprio sacerdote poterit absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*, quæ ratio universalis est, licet casus propositus de excommunicatione minori fuerit particularis. Ratio est, quia ad absolutionem censuræ non reservatæ, vel non requiritur jurisdictio fori externi, vel si qua requiritur, ea per citatum textum generaliter datur proprio sacerdoti, ut pro utroque foro censuram relaxare possit.

4.^o Censura juris reservata non potest tolli, nisi à conditore canonis, vel cui ipse potestatem dederit: ità c. 29. h. t.; nam inferior nequit relaxare jus Superioris. Ex speciali potestate ab omnibus censuris et peccatis occultis, et ad forum contentiosum non deductis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis absolvere possunt.—I. Episcopi ex privilegio Trid. sess. 24. c. 6. de refor. et Regulares in privilegiis communicantes, ut passim referunt Scriptores regg. allegantes certa privilegia Apostolica, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, à quibus per se nec Episcopi, nec Regulares absolvere possunt, nisi speciali concessione super his casibus muniti sint.— Ex decreto Cong. Conc. 26 Aprilis 1687, Episcopus potest absolvere ab excommunicatione incurta ob levem percussorem clerici etiam deductam ad forum contentiosum. Et licet in vim cap. 6. Trid. absolvere possit ab omnibus censuris occultis, etiam Papæ reservatis, ut suprà; ex decreto tamen ejusdem Cong. relato à Fagnan. cap. *Dilectus* de temp. ordin. n. 30., absolvere nequit ab illis, quæ post Trid. Papæ reservatæ sunt. Et